170

crassatur. Sed iuxta breue tempus uitae praesentis ipsa illi fallacia prosperatur. Idem danihel propheta de se uitia antichristi subiungens ait. Interficiet robustos et populum sanctorum secundum uoluntatem suam. Robustos quippe interficit cum eos qui mente inuicti sunt corporaliter uincit. Uel certe robustos et populum sanctorum secundum uoluntatem suam interficit, cum eos qui robusti ac sancti credebantur ad nutum suae trahit. In cuius manu dolus dirigitur. Quia in illo fraus per opus adiuuatur. Quod enim fallendo dicit hoc mira faciendo adserit. Itaque quicquid mendax in lingua simulat hoc uerum esse manus operis ostendit. Elatio nempe quae antichristi et subiuncta potentia suffragatur. Nam quicquid tunc superbe extollitur. Quicquid callide machinatur etiam cum uirtute potentiae facta exequitur.

quod bene danihel propheta intuens ait. Dolus in manu eius dirigitur. Dolus quippe in manu eius fraus in uirtute. Quia omne quod nequiter uolt hoc ad tempus exequi et iam fortiter potest. Dolus ergo in manu eius dirigi dicitur quia fraudis eius malitia nulla difficultate praepeditur. Hoc enim iste uel uasa eius habere crebro proprium solent quod ad iniquitatis suae cumulum ea quae nequiter appetunt explere nequius possunt. Contra principem principum consurgit et sine manu conteritur. De hoc paulo ait. Ita ut in templis dei sedeat ostendens se tamquam sit deus. Hic rursum dicit quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet inlustratione aduentus sui. Quod enim per danihelem dictum est contra principem principum consurget hoc per paulum dicitur, Ita ut in templo dei sedeat ostendens se tamquam sit deus. Et quod per danihelem subiungitur sine manu conteritur hoc per paulum exprimitur quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruat inlustratione aduentus sui, sine manu scilicet conteritur.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc433/0359